

facile deciduo, cylindrico-prismatica, dense pubescentia; interiora pappo persistente, vix puberula ad glabra.

Typus generis — *Lagoseriopsis Popovii* (Krasch.) Kirp.

Plantae annuae, desertorum incolae, caulibus furcatim ramosis, tenuibus, oligophyllis insignes.

Genus monotypicum, cuius species unica in genere *Launaea* primum descripta erat, quamquam structura acheniorum ea nec *Launaeae*, sed *Lagoseris* in mentem revocat; posterior tamen receptaculo longe paleaceo necnon pappo alieno differt. A genere dubio *Heterachaena* (si vis accipere) planta nostra acheniis cylindrico-prismaticis (nec oblongo-ellipticis plus minusve compressis apice rostratis) necnon structura pappi bene differt, etiamsi habitu *Lagoseriopsis Popovii* m. *Heterachaenae massauensi* Fresen. similis est.

### YOUNGIA Cass.

61. Sect. **Pseudo-Ixeridopsis** Czer. sect. n. — Planta perennis, glaberrima (interdum involucri phylla sparse setoso-pilosa); radix plus minusve tenuis; caudex simplex vel subramosus, brevis, 0.3—2 cm lt., reliquiis foliorum radicalium vetustorum vestitus; caules in numero 1—2(3), a medio vel a basi remote ramosi, ramis longis; folia radicalia vulgo lanceolata vel oblanceolata, sinuato-dentata, pinnatilobata vel runcinato-pinnatipartita, lobis vel laciniis triangularibus vel linearibus, praecipue integerrimis, raro integerrima, petiolata, petiolis brevibus alatis, caulina non numerosa, sessilia, caulina inferiora radicalibus similia, caulina media et superiora valde diminuta, anguste linearia, integerrima vel ut apicalia bractei-formia. Calathidia mediocria, 4—9(11)-flora, inflorescentiam corymbosam patentem formantia; involucri phylla exteriora interioribus triplo-quintuplo breviora, late ovata vel oblongo-ovata, obtusa; receptaculum laeve, glabrum; corolla 13—20 mm lg., tubo glabro 2.5—4.5 mm lg.; achenia immatura flavida vel brunnea, 7—9 mm lg. et 0.7—1 mm lat., fusiformia, dorso compressa, superne leviter angustata, apice discoideo-dilatata, costulata (ut videtur costulis in numero 10—12, inaequicrassis), glabra; pappus pallide rufescens, 7—7.5 mm lg., pilis rigidiusculis non deciduis.

Typus sectionis: *Y. serawschanica* (B. Fedtsch.) Bab. et Stebbins.

### PARAIXERIS Nakai

62. Sect. **Pseudomycelis** Tzvel. sect. nova. — Calathidia vulgo quinqueflora; involucri phylla interiora (4)5(6); achenia costis longiuscule papillosa.

Typus sectionis: *P. chelidoniifolia* (Makino) Nakai.

### LAPSANA L.

63. **L. aipetriensis** Vass. sp. nova. — Planta perennis caulibus numerosis tenuibus 10—25 sm lg. Folia inferiora Iyrato-pinnatisecta segmento acrantho trigono sinuato-dentato, segmentis lateralibus minoribus ovatis pilis simplicibus et glandulosis tectis. Folia caulina sessilia lanceolata. Calathidia in inflorescentia